





1
6
7
8
9

Blatt



1747.

6. a. b. Bremen, Benedictus: Problema juris feudalis: num debita feudalia a vasallo soluta heres attodici a successore in feud repetere queat?

7. Gebauerus, Georgius Christianus, Ord. jur. decanus: ad Benedicti Bremeni... solemnia inauguralia invitat.

8. Gebauerus, Georgius Christianus, Ord. jur. Decanus: ad Franci Sylvestri Tappin solemnia inauguralia invitat.

9. Gebauerus, Georgius Christianus, Ord. jur. Decanus: de duobus merentissimis juris utriusque candidatis... (Christiano Fiderico Georgio Meistero et Carolo Fiderico Christiano Beckero) summum doctoris honorem... collatum esse indicat. Simul de alca et fide ad tacti de mort. Germ. P. XXIV nonnulla commentatur.

10. Meister, Christianus Fridericus Georgius: De fide
ejusque jure in usucapione et praescriptione
11. Meister, Christ. Fridericus Georgius: De jure placita-
rum Brunsvico. Luneburgico 13
12. Neubaurius, Fridericus Christophorus: Prologus de studiis
liberalibus ad princip. leg. I. de extraordinariis capitulis.
artibus, qua legum literarumque studiosos. . . ad pro-
lectiones academicas illustr. veterum et philosopho-
rum habendas invitat. 16
13. Reinhardtus, Thb. Jacobus: De eo, quod iustum est
circa testamentum principis imperii ecclesiastici. 17
14. Reinhardt, Tobias Jacobus, Ord. juris Dci Decanus:
ad lectionem cursoriam et Dissertationem inaugur.
a viro praenobiliissimo . . . Joanne Walpoko Buckero
solenniter habendas diem indicat. Simul 18

ad novellam CXXIII Cap. 6. et. Can. I. X. de fidejussoribus.
De fidejussoribus clericorum praefatus.

15. Reinhardtus, Job. Jac. : De remediis emendandae
laesionis ex voto.

16. Ribovius, Georgius Henricus : Commentatio, in qua
de culpa medica disserit et . . . Joani Christ-
iano Geygio, amico suo . . . honores in philosophia
omnium gratulatur.

17. Ribovius, Georgius Henricus : De exceptione propter
collisionem legum esse instituentia

18. Treverus, Guilielmus Samuel : Furestiterum per
septram fendis ecclesiasticis et saecularibus
communem furere, defendit.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Vertical handwritten text on the right edge of the page.]



1741, 66 2

#

P R O B L E M A
I V R I S F E V D A L I S
N V M D E B I T A
F E V D A L I A A V A S A L L O

S O L V T A H E R E S A L L O D I I A S V C C E S S O R E
I N F E V D O R E P E T E R E Q V E A T

P O T E N T I S S I M O P R I N C I P E A C D O M I N O

D O M I N O

G E O R G I O I I.

M. BRITANN. FRANC. ET HIBERN. REGE
DEFENSORE FIDEI

S. R. I. ELECTORE ARCHITHESAURARIO
DVCE BRVNSVICENSI ET LVNEBVRGENSI
RECTORE GEORGIAE AVGVSTAE
MAGNIFICENTISSIMO

INCLYTI ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE
SVMMORVM IN VTROQVE IVRE HONORVM
AC PRIVILEGIORVM DOCTORALIVM
RITE CONSEQVENDORVM CAUSA

P V B L I C A E D I S Q V I S I T I O N I S V B I I C I T

B E N E D I C T V S B R E M E R,
EQVES BREMENSIS

GOTTINGAE, ANNO CLO ID CCXLI. XXVIII. APRILIS DIE.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

RECUSA LITTERIS HENDELIANIS. CLO ID CC LXXIX.



P 339



F R O D E M A
I N T E N D A T I S

N V M D E H I T A

T I V B A L L A A V A S A L L O

S O L T A P E R S A L L O H A S U C C E S S O R E

I N T E R V A L L O T E M P O R I S

C O N T I N U A N T I S A C D O M I N O

D O M I N O

G E O R G I O

I N T E R V A L L O T E M P O R I S

A N T I Q U O

S E R V I T U T I S A N T I Q U A

I N T E R V A L L O T E M P O R I S

A N T I Q U O

S E R V I T U T I S

I N T E R V A L L O T E M P O R I S

S Y M O N I S A N T I Q U O

I N T E R V A L L O T E M P O R I S

A N T I Q U O

S E R V I T U T I S


F E N D I C I A S B R E M E R

D O M I N O

G O T T I N G A H A N D E D O C T O R I S A N T I Q U O

H A S S E N T I S

A N T I Q U O



6

CONSPECTVS
DISSERTATIONIS.


- §. I. *Origines Feudorum.*
- §. II. *Instituti ratio.*
- §. III. *De autoritate iuris peregrini.*
- §. IV. *De receptione eius.*
- §. V. *Debitorum feudaliū definitio & insoles.*
- §. VI. *Feudi ex pacto & providentiā, hereditarii, & hereditarii mixti, definitio.*
- §. VII. *Divisio feudi in hereditarium, & hereditarium mixtum, vindicatur atque eius usus ostenditur.*
- §. VIII. *Formulae in codicillis inuestiturae occurrentes expendantur.*
- §. IX. *Aliae explicantur.*
- §. X. *Quinam defuncti vasalli debita hereditaria, exsoluere obligentur.*
- §. XI. *Debitorum feudaliū divisio.*
- §. XII. *Fundamentum debitorum feudaliū quae pura vocantur.*
- §. XIII. *Quales meliorationes refundendae.*
- §. XIV. *De aedificiis variae quaestiones ventilantur.*
- §. XV.



- §. XV. *Virum heredes allodiales meliorationes non amplius existentes iure repetant.*
- §. XVI. *Aliae debitorum feudaliū, quae pura vocantur, species traduntur.*
- §. XVII. *De versione dotis in feudum.*
- §. XVIII. *Debita feudalia in subsidium soluenda percensentur.*
- §. XIX - XXIV. *Aduersariorum argumenta.*
- §. XXV - XXIX. *Aduersarii refutantur & nostra argumenta proponuntur.*

* * *

Documentum, quod §. IV. induxi, reperies apud III. TREVERVM in
der Geschlechts - Historie derer Herren v. Munchhausen. in
 App. Doc. p. 75.






§. I.

In origines feudorum *a*) si inquirimus, jura vassalli tam exigua apparent, vt, si perdurassent, de debitis feudalibus frustra esset quaestio. Antiquissimo tempore dominium vassallorum pendeat a nutu & beneplacito domini, & successio non intelligebatur *b*). Nulla igitur oppignoratio, nullum dotaticium, nulla dotatio filiarum, nulla dimissio fratrunt. Ex quo autem natura feudorum mutata, ex quo vassalli successu temporis id impetrarunt, vt dominium nacti sint irrevocabile & successio feudalis *c*) stabilita fuerit, de debitis feudalibus non inanis coepit esse quaestio. Quonam autem tempore magna haec mutatio contigit? In Italia CONRADVS II. Salicus princeps in talibus mitis ingenii, vt ait WIPPO in *vita eius*, legem de hereditate in altera expeditione Romana anno 1037. tulit, ceu operose demonstravit B. GYNDLINGIVS, Vir post fata etiam celebratissimus *d*) Vassallos nostros in Germania eo etiam allaborasse, vt feuda hereditaria efficerent, constat. Quonam autem tempore haec res iis ex voto cesserit, nondum exploratum est. Quae enim

A

enim



enim Illustrissimus Dominus COMES VICEDOMINVS AB ECKSTAEDT de imperii statibus disputat, quod scilicet non vno eodemque tempore successione in suis beneficiis fuerint adepti, illud de priuatis etiam affirmare non dubito. Videtur tamen successio feudalis circa Sec. XII. sensim inoleuisse, vti apparet ex documento in notula f) allegato, id quod ex autographo primus edidit IO. FRID. SCHANNATTVS in *historia Fuldensi*. Ex quo simul addiscimus filiorum successione in beneficia, quae pater habuit, tunc temporis non vbiuis in Germania obtinuisse, cum de rebus, quae quotidie contingunt, conquiri non soleamus, vti fecit Dominus Abbas MARCV VAR-
DVS. Successio feudalis hodiernum naturalibus feudi accensetur, vnde est, quod homini in foro versanti quotidie debita feudalia occurrant.

- a) Hac de re egregie differentem vide ILL. Dominum DECANVM, quem honoris causa nomino, in Dissert. elegantissima cui nomen: *Origines Feodi, qua vocem qua rem non externae sed Germanicae.*
- b) I Feud. I. §. I.
- c) I Feud. I. §. 1. 2. 4. & 5 Feud. I.
- d) in GYNDLING. P. XV. 10. 11. 12.
- e) in Diss. de Feudis Ligis §. 7.
- f) Verba documenti apud SCHANNAT. in *Hist. Fuld. Cod. Probat*: Nr. LXXIII. huc spectantia haec sunt: *Quicumque laicorum, inquit Abbas Fuldenfis, aliquo tempore habebat inter manus villicationem hujus Abbatiae, optimos sibi exinde excepit mansos eosque pro beneficiali iure in SVOS HEREDITAVIT FILIOS ita vt aliqua villicatio plures amitteret hubas quam retineret — — — Quid dicam de familia ecclesiae, quae vbiuis terrarum in direptionem exposita erat omni rapienti & dicenti: Meus es tu, meus es tu, ego te in Beneficium acquisiui — — — Quia abbatis totius utilitas in laicorum manu posita fuit, & si aliquis eis contradicere*

dicere vellet abbatum, ac judiciali lege placitum faciens justitiam ab eis exquirere coepisset, ingeniosa & callida argumentatione juris sui, Lehen-Recht nominant, anguis more de manibus elapsi per anfractum sermonum sine suo discrimine effugiebant. De feudis ministerialibus chartas evolue, si placet, quas habet MARTEN. Tom. II. Coll. p. 110. & III. TREVERYS in Geneal. Munchhausiana in App. p. 6. nec non Cel. PEEFFING. in Hist. Br. P. II. p. 1035. 1038.

§. II.

Totum idque diffusum debitorum feudaliū argumen-^{Instituti ratio.}
tum tractare animus non est, cum pauculae, quae Differentiationi Academicae & instituendo more maiorum publice differendi exercitio destinari solent, pagellae, in tanta materiae vbertate, vix sufficere videantur. Nec tantum ingenii praesidium nobis inesse existimamus, ut post tantorum virorum †) in hac materia illustranda collocatam operam aliquid noui a nobis in medium proferri posse arbitremur. Subsistere constituimus in speciali illa quaestione de refusione debitorum feudaliū solutorum, a nemine, quantum mihi constat, ex instituto tractatam, sperantes fore, ut nostro qualicumque labori aliquid gratiae, quae alias plane ei deesse videtur, ex argumenti nouitate accedat. Cum ab indole debitorum feudaliū tota quaestionis ventilandae decisio pendeat, hunc ordinem seruabimus, ut variam debitorum feudaliū naturam simus inuestigaturi, antequam ad quaestionem ipsam dirimendam deueniamus. Ne autem nobis obuerti possit patrios mores nobis esse exosos, omnem operam dabimus, ut quid utroque, quo utimur, iure Longobardico ac Germanico iustum sit exponamus, nec ea, quae speciatim hisce in terris obtinent, praetermissuri.



†) De debitis feudalibus ex instituto egerunt: CARPZOVIVS in semicenturia Positionum Juridicarum de *oneribus Vasalli feudalibus seu debitis in foro Saxoniae ex feudo soluendis*, Lips. 1654. IO. EICHELIVS in *Diff. de debitis feudalibus*, Helmst. 1665. PETRVS MVLLELVRS in *Diff. de aere alieno a successoribus feudi soluendo*, Jenae 1692. CASP. ZIEGLERVS in *Diff. de debitis ex feudo soluendis*. SAM. STRYCKIVS in *Diff. de obligatione feudi consensu munita*. IO. PAVL. KRESSIVS in *Diff. de debitis ex Feudis praecipue Pomeraniae soluendis*, Helmst. 1732.

§. III.


De auctoritate juris peregrini.

Quae instituti ratio vt eo melius procedat, liceat mihi quaedam de auctoritate iuris peregrini hic eo consilio praemittere, vt hac quaestione, quae toti disceptationi lucem affundit, decisa, deinde ad tractationem ipsam eo melius transire totamque materiam non interrupta serie profequi possim. Patrios mores auitaque iura maximam a peregrinis placitis cladem accepisse nemo ignorat. Cum autem Germani patrii moris ceteroquin tenacissimi patria iura non penitus eiu-rauerint, de finibus controuersia incidit. Quamobrem, quousque cuiusvis iuris valeat auctoritas, vt sciamus, finium regundorum iudicium instituendum erit. CICERO a) equidem indignissimum iudicauit *de ipso iure civili fieri iudicium*; neque tamen ego hanc controuersiam vitare possum, quia, illa sopita, apparebit, id quod mea plurimum interest, quo demum iure pro temporum diuersissima conditione contractus feudalis censendus sit. Illud enim quemlibet facile largiri autumo, omnis generis conuentionem ex intentione contrahentis obligare. Ex quo fluit, vt contractum interpretaturi omnem operam in eo collocare debeamus, vt, quid pacificentes senserint, eruamus. Pone interim, maiores nostros Seculo XII. nullam iuris Longobardici noticiam habuisse,

buisse, qui quaeso contractus eo tempore celebratus ex iuris Longobardici formula explicandus erit? Fac porro, quod infra prolixius illustrabimus, occurrere in codicillis inuestiturae eodem aeuo conditis, voculam *Erben*, feudum vasallo illiusque heredibus dari, num ex Longobardico iure, cuius plane expertes erant maiores, an ex moribus patriis, quibus tunc temporis regebantur, tibi arcessenda videtur interpretatio? Mihi sane haec res adeo clara ac confecta videtur, ut facile rationes subducantur, quamuis magni nominis (Cros b) nimio iuris peregrini amore ductos sine temporis discrimine ad ius peregrinum tanquam ad sacram anchoram confugisse videamus. Tu hanc regulam habeto: **QUILIBET CONTRACTVS FEVDALIS EX EO IVRE DIUIDICANDVS EST QVOD CVM INIRETVR CONTRAHENTIBVS TRITVMERAT ATQVE VSITATVM.** Haec regula tam clara est, ut omnibus sese probare debeat; ast cum ventum ad verum est, rem innumeris difficultatibus impeditam deprehendes, ut vel probabilem sententiam expromere difficultate non careat. Talia enim conanti quodnam ius in quauis provincia quouis tempore obtinuerit explicandum erit. Quantam autem rerum retrogestarum memoriam, quantam antiquitatis noticiam haec res non efflagitat? Sane eum, qui hanc rem perorare, atque officio suo ex aße satisfacere cupit, diplomatam solertissimum indagatorem esse & cum scriptoribus medii aevi intimam quasi familiaritatem contraxisse oportet. Quibus omnibus praesidiis cum plane destitutus sim, totam rem penitus excutere iis relinquo, qui & ingenii acumine & rerum noticiâ me longe antecedunt. Liceat mihi ea tantum modeste exponere quae mihi in genere vero similia videntur, quaeque propter instituti rationem hic afferre superfedere non possum.

a) CIC. PRO CAECINA Cap. 2. §. 4.

b) Ca-



b) Catalogum ineptarum applicationum iuris R. vide apud B. GRIEBNERVM in *Diff. de praeiudicio Principum Imperii ex abusu iuris Iustiniani & amplissimum IO. GEORGIVM CRAMERVM in Diff. inaugurali de natura atque indole delictorum & poenarum in causis statuum imperii Rom. Germanici.* Addatur IUSTI CHRISTOPHORI WILLERDINGII *Diff. inauguralis de incongrua applicatione iuris Longobardici ad Feuda Germaniae,* Giesae 1705.

§. IV.


De receptione eius.

Germanis patrii iuris studiosissimis nihil adeo curae cordique fuit, quam vt patrios mores feudales retinerent. In iis igitur conseruandis ac defendendis toti fuerunt ita, vt in iure priuato, quod ciuile dicitur, facilius iuris peregrini consortium admiserint, quam quod feudali nomine venit. Inde est, quod ius feudale Longobardicum serius apud nos inualuerit quam jus Romanum. Quod enim Sec. XV. & quidem ao. 1467. iuris feudalis Longobardici adhuc experes fuerint maiores, egregie docet documentum nuperrime ab ILL. TREVERO in supra laudato opere editum *). Eo enim audaciae, prout tunc erant tempora, procedebant ciues quidam Hannouerani, vt contra GVILIELMVM Ducem Rrunsuico - Luneburgicum, contra dominum, cui duplici vinculo vasallagii & homagii obstricti erant, arma sumerent, damnumque darent insigne. Hac iniuria commotus princeps mansuetissimus viam iustitiae eligit & aduocatum suum IOANNEM DE MONNICKHUSEN coram GEORGIO LANCKEREDERO iudice feudali *zu Markampe vor der Neustadt* postulare iubet, vt vasalli officii sui obliui feudis priuentur, & praeterea poenas dent nequitiae suae, legibus Aurea scilicet Bulla & regia Friderici Reformatione Francofurtensi in eam statutas. Quibus omnibus rite obseruatis praelectisque

que binis commemoratis legibus iudex feudalis sententiam dixit his verbis:

„So alse de stad van Hannover vortueget sin in gerichte, dat
 „se sigend gemorden sin und sigent liken so vorgeschreven
 „steit mit daet gedan des vorgenannten mynes guedigen he-
 „ren siner prelaten, manne und undersaten und vort mit
 „brande roue dingetale und entwedeme ginge kerken kerkho-
 „ve und wedembove war gemaket hebben. So hebben se sick
 „suelves vormracht dat se sin erloefs lenlofs privilegienloefs
 „recht loefs na lude und inholde der gulden bullen und kue-
 „nichliken reformation vorgeschreven. So sententiere ik over
 „de sulven lenman bynnen Hannovere manhaftig des obge-
 „nanten fuersten siner prelaten manne und undersaten, dat se
 „sin erloefs privilegienloefs unn lenloefs. In dem namen
 „des vaders und des sons und des hilgen geistes.

Sive accusationem sive procedendi modum sive ipsam sen-
 tentiam spectes, vbique illam simplicitatem, qua conspicuum
 est jus antiquum, deprehendes. Nec credo esse quem-
 quam, qui existimet, quod, si ius Longobardicum innotuerit,
 neutra pars in illo praesidium quaesiverit. Quam bella fuis-
 set iudici de feloniam differendi occasio? An quemquam iudi-
 cem hodiernum ejus memoriam praetermissurum credideris?
 Sed tantum abest, vt vel a iudice vel a partibus ad jus Lon-
 gobardicum prouocetur, vt praeter limpidissima Germaniae
 jura nihil in medium proferatur. Quae cum ita sint, ius
 feudale Longobardicum in Germania, saltem hisce in tracti-
 bus, ante Sec. XVI. e foris exulare autumo. Quibus po-
 sitis si ea, quae §. antecedenti disputauimus; nobiscum re-
 putemus, facili negotio colligitur, contractum feudalem an-
 te Sec. XVI. celebratum vnice ex moribus Germanorum ex-
 pli-



plicandum esse, cum e contrario contractus recentiores potius ex Longobardico quam Germanico jure dirimendi sint. Caue hanc regulam adeo certam credas, vt in contractibus recentioribus omnes formulas, imo juri Longobardico incognitas, ex isto jure nihilo fecius explicandas existimes. Superfunt enim hodiernum patrii iuris reliquiae ex fontibus, vnde promanant, deriuandae & dirimendae. Habes nunc, quae nobis de auctoritate juris peregrini fedet sententia. Redeamus in viam, debitorum feudaliū definitionem atque indolem exposituri.

§. V.

*Debitorum
feudaliū
definitio &
indoles.*

Debitum feudale mihi est, debitum ex feudo soluendum. Caue debita allodialia siue vasalli, quae sine consideratione feudi contracta personam eius tantum obligant, cum debitis feudaliū confundas. Quae distinctio, quanquam displicet CARPZOVIO †), praesentissimi tamen vsus est, & in ipsa re fundata. Quamvis enim ius succedendi in feudum non ab vltimo possessore, sed a primo acquirente descendat, nec successor feudalis regulariter facta defuncti praestare teneatur; interdum tamen ex singulari feudi natura, vel legis dispositione successor feudalis soluere debet debita allodialia. Quas species, vt certis limitibus includerent Doctores, nouam quandam ipsis legibus incognitam inueniunt diuisionem in feudum *ex pacto & providentia*, *hereditarium & hereditarium mixtum*. Qua distinctione, quae multos morata est interpretes, vtrum huic materiae consultum sit nec ne, vt expendamus, nostrarum erit partium.

†) In Diss. de oneribus feudi Dec. I. Pos. 8. n. 21.

§. VI.

§. VI.

Diuersam in feudo succedendi rationem indeque pendentem disquisitionem, quatenus successores feudales a alienum a praedecefforibus contractum exsoluere obligentur, originem dedisse nostrae diuisioni inter omnes constat. Cum enim ea vulgo sit feudi natura, vt omnes primi acquirentis descendentes, & quidem, exclusis foeminis, masculi, non ex arbitrio vltimi possessoris, sed ex pacto & prouidentia primi acquirentis ad successionem vocentur; placuit Doctorebus feudum, in quo ita succeditur, appellare *ex pacto & prouidentia*. Indagatores huius rei, non vbique rigorem iuris feudalis obseruari, animaduertentes, cum vel in feudo admitterentur foeminae atque plane iure allodiali succederetur, vel successio ex vtroque feudali atque allodiali succedendi genere aliquid traheret, de irregularibus hisce feudis nouis nominibus insigniendis cogitarunt, atque illud *hereditarium*, hoc *hereditarium mixtum* appellarunt. Fuerunt Icti, qui hanc diuisionem, rem magis inuoluentem quam explicantem, e saniori iurisprudencia eliminandam suaserunt. Quorum sententiae vtrum subscribendum sit, nec ne, tum demum apparebit, si in rem ipsam penitus inquiremus. Ne autem in hac lubrica materia impingamus hanc legem nobis dedimus, vt primo loco quid huic distinctioni in genere obuerti possit, deinde in quo rei cardo vertatur, ac denique quid reiectis verborum officijs verum sit, simus inuestigaturi.

§. VII.

Primo loco res nobis erit cum acutissimo Icto & dum vi- *Diuisio feudi in hereditarium & he-*
tam trahebat, celeberrimo VIRO GOTHOFREDO BARTHIO a) *qui*
B

*veditarium
mixtum vin-
dicatur atque
eius usus
ostenditur.*

qui feudi hereditarii notionem eam ob causam haud adaequatam existimavit, quia ex illa non constat, quomodo succedatur. Equidem largimur, eum qui nostram definitionem tenet, ideo hoc ipso in quolibet obueniente feudo statim definire non posse, vtrum illud hereditarium sit an ex pacto & providentia. At definitis non est, regulas tradere spinosissimas saepius, quomodo notio applicanda sit; sufficit criterium definitioni inesse, quo hereditarium feudum ab omnibus aliis feudis discerni queat. Iure igitur servavit hanc distinctionem III. GEBAVERVS b), ab aliis reprobata. Paucioribus adhuc sese probat feudum hereditarium mixtum. Monstrum enim plerisque est seu potius androgynus,

--- cui forma duplex, nec foemina dici,

Nec puer ut possit

Sic IOHANNI WAGNERO c) *chimaera* videtur & *monstrum*, quod priori parte unam & posteriori aliam formam repraesentat. Et quis non PHILIPPVM DECIVM, d) cui hoc inventum nonnulli tribuunt, idem fecisse existimet ac ille de quo Poeta e),

Humano capiti cervicem pictor equinam

Iungere si velit & varias inducere plumas

Vndique collatis membris, ut turpiter atrum

Desinat in piscem mulier formosa superne?


Offerunt scilicet, feudum ex pacto & providentia & feudum hereditarium sibi opponi, ita, ut Dialecticorum regulis saluis, tertium non detur. Sequenti dilemmate eos insurgentes video. Aut servatur successio feudalis aut non servatur: si prius, erit ex pacto & providentia: sin posterius, here-

hereditarium. Ast cum falsa sit. haec hypothesis, non dari tertium, cum fieri possit, imo quotidie contingat, ut ordo succedendi iure feudali partim seruetur, partim non seruetur; Decianum aut si inuis Pilianum partum exponendum non esse, affirmare non dubito. Sane ille laudandus est, qui nouum nomen ideae in ipsis rerum argumentis probe fecerendae iungit. Nec criticam tantum nostram disputationem, atque ab omni usu practico destitutam esse credas velim. Nam facile vnusquisque praeuidet feudum si fuerit hereditarium, heredem feudalem aes alienum a defuncto contractum premere. Si hereditarium mixtum, interdum quoque contingit, ut defuncti creditoribus contra feudalem successorem detur actio. Non iniucundum igitur nec abs re alienum futurum arbitramur, si de criteriis feudi hereditarii, & hereditarii mixti disputemus.

- a) in *Diff. de successione foeminarum in feudis* §. 6.
 b) in notis *ad Schilteri Institutiones iuris feud.* Cap. IX. §. 17. nota c).
 c) in *Diff. Feud.* 4. th. 9.
 d) Pro DECIO militat CAROLVS a KIRCHBERG in *discursu de feudo ex pacto & prouidentia, ut appellant, & feudo hereditario.* Passanae 1716. PILEO hoc inuentum tribuit STRVLLVS in *syntagm. iuris feudalis* c. 4. Aphor. II. D. I. & HENRICVS COCCEIVS in *Diff. de feudo hereditario mixto.*
 e) HORATIVS in *Art. Poet.* v. 1. seqq.

§. VIII.

Ex codicillis inuestiturae diiudicandum est, vtrum feudum sit ex pacto & prouidentia, an hereditarium mixtum. Formulae in codicillis inuestiturae occurrentes exprimentur.



vt expendamus, atque, quid vnaquaque denotetur, vt ostendamus, necesse erit. Rem valde dubiam aggredimur, a) quare, si minus solide in ea versabimur, speramus fore, vt iuueni, qui nihil humani a se alienum putat, vnusquisque facile indulgeat. Occurrit primum formula feudi *pro se & heredibus, fur sich und seine Erben*. Non desunt, qui feudum hereditarium indistincte denotari, existimant, quos vide apud laudatissimum CAROLVM a KIRCHBERG b). Ast ego huic sententiae subscribere non ausim, cum vocula *heredis* pro materia, vt aiunt, substrata intelligenda sit. Quibus positis *heredem* talem accipimus, qualem ius feudale c) illum nobis sistit, id est, masculum a primo acquirente descendentem. Ita composita est lis iure feudali Longobardico, vt adeo iis in locis, vbi illud ius viget, feudum *ex pacto prouidentia* denotari dixerim. At de iure Germanico etiam nobis dispiciendum est. Omnes fere rerum Germanicarum scriptores in eam sententiam abire videmus, quod vox *Erben* apud Germanos etiam accipiatur pro herede masculino, quia regulariter feuda patria aequae masculina esse soleant ac Longobardica. Nec documentorum praesidio destituitur haec sententia, quae allegasse iuuabit. Sic apud B. PFEFFINGERVM d), in priuilegio D. MAGNI Ordinis Prou. Luneb. ao. 1367. impertito occurrit formula: *mere et, dat Unse leue Veddere Hertogh WILHELM Hertog tho Brunsewig undt Luneburg storve, dat Gott nichten wille und einen rechten ERVEN bedde einen SOHNE edder mehr*, quod satis, vt opinor, declarat, voculam *Erven* solos mascululos insignere e). Nolim a communi hac & recepta sententia recedere, cum suo nitatur fundamento; ast scrupulus est, qui me impedit, quo minus hanc rem confectam atque perorata existimem. Deprehendimus enim *Mann Erven Lehn* verbum ad denotandum feudum masculinum solenne pror-

prorsus ac proprium, & ad denotandos heredes masculos vocem *Mann erven*. Euoluantur exempli gratia chartae apud amplissimum atque de antiquitatibus Germanicis optime meritum Virum CHRISTIANVM VLRICVM GRVPE-NIVM f). Ibi diploma de anno 1398. *belenet hebben tho enen rechten erve man lene*, idem de 1403, *eyn recht vulstaedich erve manlen erflicken to besittende*; similiter in charta de 1500: *dat my to erflecken Man lehne belebnet hebben und beleknen jegenwardighen g)*. Inde haud immerito aliquis sibi persuaserit, cum maioribus usitata fuerit peculiaris atque certissima vox *Mann erven* ad denominandos heredes masculos in feudorum successione, vocem *Erven* seu *rechten Erven*, quoslibet heredes tam masculos, quam foeminas innuisse. Accedit quod sub vocula *Erven* nonnumquam foeminae comprehensae videantur. In promptu sunt bina documenta apud V. C. atque in re Diplomatica veratissimum CHR. VLR. GRVPENIVM h), alterum de 1364: *hebben gheleued Hefecken ichtes wanne Iohannes Kolvenrodes Wedewen unde oeren Kinderen Iordane Hennecken und Corde unde oeren rechten Erven*; alterum de 1351. de infeudatione molendini: *Quod Iohanni dicto Snellegraven & Iordano Reyndinghe nec non vxoribus ipsorum eorumque veris heredibus Nouum Molendinum . . . Vxoribus enim ac viduis, cum feuda dentur, vero simillimum est, dominum illa etiam in earum heredes foeminas collata voluisse. Saltim ex his omnibus hoc conficio, si regulam spectes, inter ius peregrinum & patrium nullam esse differentiam admittendam: ceterum omnes facti circumstantias probe esse perpendendas, & tunc, si res flagitat, a regula esse recedendum.*

- d) GARZONTVS in tr. *de foem. ad feud. recip. vel non* n. 80. summum nomen supplicandum esse censet, *ut, quemadmodum cor iudicis in manu habet, sic rectum iudicium illi tribuat, ut ad viam veritatis inclinet.*
- e) Libro saepius citato *Cap. 4. n. 1. Add. HARTM. PISTOR. L. II. Qu. I. n. 44. & seqq. Q. III. n. 230 seqq.*
- f) 1 Feud. 13. §. *etsi clientulus*, & 2 F. 34. §. *Profecto.*
- g) In der *Historie des Braunschweig-Lüneburgischen Hauses*, Tom. II. p. 1033, 1035.
- h) Huc etiam pertinere videtur charta apud Ill. KOPPIVM in den *Proben des teutschen Lehen-Rechts* N. VI. p. 275. quae legitimorum heredum, legitimae posteritatis & legitimae procreationis fecit mentionem, & deinde addit: *ut equitent ubicunque eis praeceptum fuerit*, quo ipso, cum equitare de masculis dicatur, hos solos intelligi, constat.
- i) In *Originibus & Antiquitatibus Hannoueranis* p. 33, 33. & 96.
- j) Liceat hic adicere nonnulla documenta hanc rem vterius illustrantia. Sic in libro paulo ante allegato pag. 389. egregium documentum de 1428. reperimus: *Were aver dat se Asswins van Roden willen nicht hebben konden sin len dat he an der Molen hefft to vor latende lete he denne na sek man erven, de mochten by der Molen bliwen, dewile se leveden. Sünder na oerem dode oder wen se Asswins oder siner Man erven willen hedden So scho de unde schal de Mole genzliken by on ewich bliwen alse vorschreven is. Also dat my de Molen denem venemys vürder lenen willen.* Luculentius idem significat alia locutio apud Ill. SENCKENBERGIUM de *Feudis Brunsvic.* in Diplomate quodam Behriano de 1511, quod Adjutorum est V. *de Linyendael to eynem rechten erfmanlehenen gnädichlicken bolhenet und begnadet hebben, bolhenen und bognadene one darmedde so jegeinmordigen in und mith crafft dister Umses breves na Manlehens Recht und Gewohnheit.* Vide alia documenta huc spectantia apud eundem l. c. p. 24. 25. & 28.
- k) in *Orig. Hannou.* pag. 91. & 180.

§. IX.

Pergo ad reliquas formulas breuiter explicandas. De *Aliis expli-*
cantur.
 formula *quorumcunque heredum* disputant. Doctores, dum
 alii *a)* per vocem *quorumcunque* nullam plane mutatio-
 nem induci existimantes, hoc feudum eadem lege diudi-
 candum volunt, ac vbi formula, de qua praecedenti §.
 egimus, *pro se & heredibus* occurrit; alii *b)* autem plane
 immutatam esse naturam contendunt, atque feudum here-
 ditarium indigitari sibi persuaident. Ego sane me prioribus
 adiungo, ita tamen, vt heredes etiam non feudales, id est,
 qui non a primo acquirente descendunt, modo sint masculi,
 sub hac formula comprehensos existimem *c)*. Sic vocu-
 lae *quorumcunque* non nimium tribuimus efficientiae, vt
 scilicet totam feudi naturam peruertere queat, nec eam tan-
 quam superfluum reiicimus, id effectus ei tribuendo, vt
 heredes proprie non feudales in subsidium admittantur.
 Aduersatur enim bonae interpretationis regulis, vt epithe-
 ton, quod quandam vniuersalitatem inducit, frustra adesse
 existimemus. Hanc formulam excipit alia *fur sich seine*
Erben und Erbnehmern. Plerosque *d)* in eam sententiam
 concedere video, omnes tam masculos quam foeminas in-
 signiri, quippe quod voci *Erbnehmern* eiusque emphasi
 tribuendum sit. Verum enim vero *Erben & Erbnehmern*
 mihi videntur synonyma, & quicquid est emphaseos, non
 satis percipio. Eadem igitur hic valere arbitror, quae su-
 pra de formula *fur sich und seinen Erben* tradidimus.
 Superest, vt genuinum sensum concessionis *zum Erblebn,*
to enem erflicken lene, & similium indagemus. Interpre-
 tes *e)* pragmaticos si consulas, haec tibi dabitur responsio,
 esse synonyma feudi hereditarii, ad minimum hereditarii
 mixti. Quod si autem ea respiciamus, quae habet III.

KOP-



KOPPIVS f) in re feudali verfatissimus, & nobiscum reputemus, quae §. VIII. disputauimus, suspecta videtur haec opinio. Namque formula ibidem exscripta: *eyn recht wustadich erve manlen erflicken to besittende g)*, satis declarat, *erflicken* hic tantum opponi personali feudo, lquod ad nullum heredem transmittitur. Quae cum ita sint, hoc feudum nec hereditarium, nec hereditarium mixtum, sed *personale* dixerim.

a) V. BARTHIVS in *Diff. cit.* §. 5.

b) ROSENTWAL de feudis c. 2. conc. 36. n. 6. HERM. VVLTEIVS in *Conf. Marp.* 33. n. 46. 47. Vol. I. COCCIVS in *Diff. cit.* §. 43.

c) Habeo SCHILTERVM consentientem in *Instit. Iur. Feud.* Cap. IX. §. 17.

d) CAROLVS AKIRCHBERG in lib. cit. C. 4. n. 77. & BARTHIVS in *alleg. Diff.* §. 5.

e) V. CAR. AKIRCHBERG in Libr. alleg. Cap. 4. n. 77. 78. COCCIVS in *Diff. laud.* §. 41. & seqq. & STRVVIVS in *Syntagn. Iuris Feud.* Cap. IV. Aphor. 13.

f) *In den Proben des teutschen Lehen- Rechts*, Nr. VI. von *Verleihung derer Lehne zu rechtem Erbe.*

g) Apud GRVPENIVM in *Orig. Hannou.* p. 33.

§. X.

*Quinam de
functi vasalli
debita here-
ditaria ex-
soluere obli-
gentur.*

Peruenimus tandem ad quaestionem propter quam haec omnia dicta sunt: num scilicet successor feudalis indistincte ad aes alienum a defuncto contractum, licet feudum non afficiat, exsoluendum, obligetur? In feudo ex pacto & prouidentia frustra hoc quaeritur, cum illud, quoties facta defuncti praestanda sunt, in feudum hereditarium

rium mixtum degeneret. Cum vero in feudo hereditario plane succedatur iure allodiali, quoad exfoluenda debita idem obtinebit, quod in hereditate allodiali, vbi hereditas non nisi deducto aere alieno intelligitur. a) Dispicendum nunc erit de iis, qui succedunt, vtrum feudum ratione ipsorum sit ex pacto & providentia, an hereditarium, an hereditarium mixtum, & quid vtroque iure Longobardico ac Germanico iustum sit, expendendum. Iure feudali Longobardico rem decisam reperies 2 F. 45. Alia ibi habita est ratio filiorum, alia agnatorum. Filios retinere posse feudum, repudiata hereditate paterna, negatur b); agnati e contrario ab omni obligatione liberantur c). Ex quo colligimus, feuda Longobardica, si ad filios respexeris, esse *hereditaria mixta*; sin ad agnatos, *ex pacto & providentia*. Mirum alicui videri possit, quod de feudo hereditario hic nihil dispositum deprehendamus, quare huic dubio respondebimus. Cum feudum hereditarium analogiae iuris feudalis plane aduerferet, adeoque tanquam exceptio tantum valeat a regula; in lege nostra, vbi regula condenda erat, illud merito omisum est. Progrediamur nunc ad mores patrios. Ius Germanicum nullam agnoscit differentiam inter filium & agnatum successorem, sed vtrumque ab obligatione debita hereditaria exfoluendi, liberat. Quoties enim filius non confenserat, c) toties nullum creditori aduersus illum erat agendi fundamentum. Praeterea textus Iuris Feudalis Saxonici & Allemannici extant diserte id innuentes. Sic dispositum legimus *in dem Saechsischen Lehn-Rechte* Art. 55: *Der Man en ist nicht pflichtig zu leistene sinen Herren gelobede noch daz kind sinen vater umbe sin gut zu lazene, & in dem Schwaebischen Lehn-Rechte*, Cap. 98: *Der Man ist nit schuldig zu leistende des Herren glubde noch das Kint des Vatters das sie ir gut uffgebent*. Ita maioribus placuit. Ast

C

an



an hoc iure hodiernum utamur, non immerito quaeritur. Difficile est de praxi totius Germaniae testari, quare unicuique hanc litem in sua provincia componendam relinquo, ea, quae hisce in terris obtinent, exponere contentus. Apud nos ius Longobardicum approbatum esse testantur recessus atque leges in notula d) allegatae.

- a) Haec de feudo hereditario tali, quale nos illud definiuimus, intelligas velim. Quod si enim cum quibusdam interpretibus feudum hereditarium appellas, in quo foeminae & alii heredes non feudales admittuntur in subsidium, id quod nos ad feudum hereditarium mixtum referimus, tunc aliter calculus ponendus est. Cum enim primus acquirens heredes proprie non feudales ad successionem feudi vocauerit, immutauit quidem feudi naturam; at ex eo, me iudice, non apparet, quod gentilitii decoris studium adeo neglexerit, ut heredes suos ad soluenda debita a praedecessore luxu ac prodigalitate saepius contracta, obligauerit. v. BARTHIVM in *Diss. Saepius alleg.* §. 7 & 8.
- b) De filiis ita dispositum legimus: *Vbi vero filium reliquit ipse (vasallus defunctus,) non potest hereditatem sine beneficio repudiare, sed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet, quo repudiato ad agnatos, si paternum erit, pertinebit.* Additur limitatio: *Et, licet alterum sine altero retinere non possit, agnatis tamen consentientibus, poterit dominus, eum, si voluerit, quasi de nouo beneficio inuestire, quo facto licebit ei, repudiata hereditate feudum tenere, nullo onere hereditario ei imminente.* Haec limitatio regulae nullum assert praedictum, cum ille, qui refutato feudo denuo inuestitur, patri non dicatur successisse.
- b) De agnatis lex ita sancit: *Si contigerit vasallum sine omni prole decedere, agnatus ad quem vniuersa hereditas peruenit, repudiata hereditate, feudum, si paternum fuerit, retinere poterit, nec de debito hereditario aliquid feudi nomine soluere cogitur.* Additur: *sed in fructibus, si quos reliquit, ut de iis debitum soluatur, quo tempore decesserit, secundum quod supra diximus considerabitur.* Lex, in qua tempus definitum dicitur, est 2.F. 26. §. *His*
con-


consequenter: sensus hic est, quod, si ex Legis 26. dispositione fructus cedant defuncti heredibus, tunc debita ex iis solvantur.

c) Declarant id iaculenter innumera medii aeni diplomata eiusmodi exemplis refertissima, quibus parentes de bonis suis contrahentes aut cauentes consensum filiorum sollicitè adiciunt. Enotue exempli gratia B. PFEFFINGERVM in *cit. Historia Brunsvicensi* Tomo I. p. 95. & 234. & *Antiquit. Walckenried.* pag. 121. 149. 434. Imo expressum textum hoc diserte inuenientem vide in *dem Sächsischen Land-Recht Lib. I. Art. 9. Stirbet auch einer, der sein gut ein andern auflassen sol, dessen Sohn ist es nicht pflichtig aufzulassen, er habe es dan selber mit gelobet oder bürgen davor gesetzt.* Hac de re pro more egregie differentem vide III. HEINECCIUM, quem honoris causa nomino, in *Element. Iuris Germ.* L. 2. tit. 10. Addatur SENCKENBERGII *Disputatio, qua filium ultimam gentis suae in regnis & principatibus priuatiue succedere deducitur*, Gott. 1736.

d) Innuit hoc imprimis Recessus Elzae 20. 1614. die 20. Oct. conditus his verbis: *Gleicher gestalt und zum siebenden für Christlich erbahr und nöhtig befunden worden, daß kein Kind seiner Eltern Erbschaft ad effectum sich von väterlicher Schuld zu entledigen repudiiren und die Lehne ohne Unterscheid die seyn Altväterlich oder Neue oder rühren her wo sie wollen allein behalten müge, sondern die Lehne oder Erbe zum onere aeris alieni entweder zugleich sich unternehmen oder derselben gänzlich sich enthalten müsse.* Conferatur ESAIAE PVFENDORFFII *Introductio in Processum Ciuilem Electoratus Brunsvico - Luneburgici*, P. III. Cap. 22. §. 29. qui ius nostrum provinciale ibidem vberius explicat, & cui etiam nos locum allegatum debemus, cum Recessus iste in nouissimam Collectionem Constitutionem nostrarum non migraverit. Add. SENCKENBERGIVS de Feudis Br. Cap. V. §. 51.

§. XI.

Explicata vberius distinctione inter debitum vasalli & *Debitorum feudaliu* debitum feudale indeque nata diuisione in feudum ex pacto *diuisio.*



& prouidentia, hereditarium & hereditarium mixtum; de debitorum feudaliu diuisione nunc dispiciendum erit. Diximus debitum feudale esse, quod ex feudo soluendum est. Cum autem alia debita ita comparata sint, vt ex feudo primario soluenda sint, alia secundo, excusso prius allodio; enata est inde vtilissima diuisio in debitum feudale *pure & in subsidium* soluendum †). Hanc materiam meditans inuenio aliam quandam notabilem debitorum feudaliu differentiam, quam nouo nomine insignire mihi liceat, cum nemo interpretum quantum mihi constat, hac in re praeiuerit. Alia enim debita ab omnibus feudi possessoribus praestanda sunt; alia quosdam tantum obligant feudi successores. En diuisionem in debitum *absolutum & respectuum* seu, vt in scholis loquuntur, *secundum quid*. Sic exempli gratia debitum hereditarium a defuncto contractum, de quo §. praecedenti egimus, erit *respectuum*, quia filium tantum, non autem agnatum successorem, obligat: debitum autem, quod ex versione in fundum feudalem oritur, erit *absolutum*, quia indistincte ab omnibus feudi possessoribus exsoluendum est. Priori diuisioni in debitum feudale *pure & in subsidium* soluendum immorabimur, atque secundum illam debitorum feudaliu species inuestigabimus.

†) Hanc diuisionem ad vnum omnes inculcant rerum feudaliu scriptores. Vt ex his quosdam tantum commemorem, conf. STRYVII *Syntagma Iur. Feud.* Cap. 14. HORNII *Iurispr. Feud.* Cap. 21. SCHILTERI *Institutiones Iur. Feud.* Cap. VII. KRESSII *Diff. de debitis ex feudis praecipue Pomeraniae soluendis*, nec non KLEINSORGHII *Diff. de debitis feudaliu ex feudo soluendis*.


§. XII.

Rerum feudalium interpretes debitum feudale *pure ex* feudo soluendum exposituri varias instabilesque debitorum feudalium species percensere solent, incerti *a)*

Fundamentum debitorum feudalium, quae pura vocantur.

ubi sistere detur.

Equidem regulae, secundum quam omnia debita pure ex feudo soluenda diiudicari queant, tradendae periculum faciam, quocumque demum ingenio fortunaque fiat, atque secundum illam varias a Doctoribus inuectas species examinabo. Quas animo voluens nullam animaduerto, quae ex alio fonte promanet, quam quod in rem feudalem versio existat. Eo scilicet pertinent omnes species ab huius argumenti scriptoribus STRVVIO, *b)* HORNIO, *c)* SCHILTERO *d)*, STRYCKIO *e)*, KRESSIO *f)*, & SENCKENBERGIO *g)*, traditae, quas non describo. Quae cum ita sint, ambigi amplius nequit, quin huic tractationi illud substerni debeat fundamentum, quod & ipsa ratio, & ius Romanum, scriptam rationem quod nonnulli dicunt, luculenter nobis porrigit. Exponamus igitur, quas meditati sumus, regulas de in rem versione in vniuersum, deinde adiiciamus de singulis speciebus. Equidem, dum, quae iuri Romano de in rem versione placuerunt praecepta, ad argumentum feudale applicare studeo, mihi obuerti posse non ignoro, quod exulent in iure feudali Germanico pariter ac Longobardico tortuosae iuris Romani subtilitates, praeunte Speculi Saxonici Glossatore *h)*. Nemo enim est, qui nesciat ex eo solo capite Praetorem de in rem verso prodidisse actionem, vt ex seruorum filiorumque familias contractibus contra patrem atque dominum, quorum in rem aliquid versum erat, actio daretur. Quam large autem hi circuitus a nostratium simplici-




plicitate abhorreant, ab aliis iam animaduersum fuit. Sed salua res est partim, quia Praetor rectae rationis praecepta sequitur in hoc suo edicto, quam legem nobis etiam scriptam esse quilibet agnoscit, partim, quia ius Romanum suppleudi iuris feudalis causa, vbi hoc forte deficiamus, adhiberi debere tralatitium est *i*). Sic eo iure, quod cuiuslibet nostrum ceu aeneis tabulis inscriptum est mentibus, praecipiente, ferendum non est: *vt quis cum damno alterius euadat locupletior*, quod iuris naturalis praeceptum mouit VLPINIANVM *k*), vt hoc negotium quasi contractum interpretaretur, POMPONIVMQUE vt *l*) aduersus iniustum lucrum domini subueniendum esse censeret. Quemadmodum igitur in eo totius rei cardo vertitur, vt, quibus modis locupletior aliquis alterius in rem suam versione existat, explicemus, ita duplici modo hoc fieri posse dicendum nobis est: primum, *ipsum patrimonium augendo*; deinde, *diminutionem eius impediendo*. Prioris membri hae possunt esse species: quando quid impensum, vt rem nostram habeamus meliorem *m*), quando nobis quaesita est actio, qua antea carebamus, & quae sunt eius generis alia. Intelligenda hic vero omnia sunt ciuilitate, ne quis meliorem reddat rem nostram supra modum, quem nosmet ipsi forte adhibitori fuissetus. Sic VLPIANVS *n*) in visione, qua seruus sumpsit pecuniam, vt se aleret vestiretque, apposite addit: *si secundum consuetudinem domini hoc fecerit*. Eodem modo, quod ad voluptatem impensum est, in rem versum esse negatur iterum VLPIANO autore *o*). Ad posterius membrum hae duae species potissimum referri possunt. Quando quis soluit, quae alter vel *volens* vel *inuitus* soluisse. Sicuti vero ea quilibet expendere velle praesumitur, quibus praecauetur, ne res sua vel deterior fiat, vel plane pereat; ita quotiescunque talis visio occurrit, in rem versum esse recto iudicio censuit VLPIANVS.

PIANVS. p) Porro inuitus quis soluere cogitur aes alienum, & onera rei suae inhaerentia: quicumque ergo alterum eo leuauit, reddidit illum locupletiolem, tradente ita VLPIANO q).

- a) Virgil. *Aen.* L. 3. v. 7.
 b) in *Syntagn. Iur. Feud.*
 c) in *Iurispr. Feud.*
 d) in *Instit. Iuris Feud.* Cap. VII.
 e) in *Exam. Iur. Feud.* Cap. 21.
 f) in *Diss. saepius cit.* Cap. 2.
 g) in *primis lineis Iur. Feud.* Cap. 16.
 h) Ad L. 2. Art. 13. vbi inquit: *In diesem Rechte ist solche Behendigkeit im Klagen nicht, daß es so grosser Weisheit bedürffe als im Kaiser-Rechte.*
 i) v. III. KOPPII *Proben des teutschen Lehen-Rechtes in dem Vorbericht von dem wahren Gebrauch des Römischen und Longobardischen Lehn-Rechts in Teutschland.*
 k) L. 1. pr. D. de in rem verso.
 l) L. 10. §. 7. eod. tit.
 m) VLP. L. 3. §. 2. 3.
 n) Alleg. L. 3. §. 3.
 o) L. 3. §. 4. ff. eodem tit.
 p) L. 3. §. 2. ff. eod. tit.
 q) L. 10. pr. L. 15. ff. eodem titulo.

§. XIII.

His ita constitutis singularia quaedam capita, quae ad vsum nostrarum praecipue terrarum spectant, delibabimus per Quales meliorationes refundendae.



per transfennam, cum id professa opera non agamus, vt cuncta, quae de debitis feudalibus a sexcentis aliis satis inculcata sunt, repetamus. Ad ductum itaque diuisionis paulo ante explicatae prima occurrit visio de debitis feudalibus, quibus ipsum feudum ipseque fundus feudalis melior factus est, quaeque vulgo *meliorationes a)* vocari solent. Liquer autem *melioratum* existere feudum, quando verum communeque illius pretium auctum est opera cuiusdam, qui, vt plura inde commoda in possessorem redundent, aptius reddidit. Nihil hic nostrum putamus, quam vt ex fontibus, quos supra aperuimus, deducamus riuulos nonnullos ad ipsum huius doctrinae usum vltcrius illustrandum. Vidimus interpretes praecipue fluctuare in hac quaestione: quales meliorationes refundendae sint, vtrum heredes allodiales iure tantundem repetant a successore feudali, quantum erogatum, an vero id duntaxat refundendum, in quantum feudum ipsum re vera melius existit. Hanc quaestionem ita dirimendam auctimo: Quoniam ex supra disputatis in aprico est, eo fundamento totam doctrinam niti, ne quis cum damno alterius locupletior euadat, id simul clarum esse existimo, meliorationes omnes eatenus tantum refundi, quatenus inde ad successorem feudalem emolumentum peruenit. Distat hoc naturalis ratio, ad stipulante tam iure ciuili, quam feudali. De iure ciuili res iam supra euicta est; adde nunc PAVLYM *b)*, haec vltcrius declarantem. Ius Feudale autem, tantum abest, vt nobis aduersetur, vt potius palam idem loquatur notissimo loco 2. F. 28; quod idem lege nostra Provinciali, Ordinatione supr. Apell. Trib. Cell. *c)*, satis probabili consequentia confirmatur. Sequuntur etiam hanc sententiam terrarum nostrarum dicasteria, vt ex iudicato in notula *d)* allegato apparet. Excussa hac primaria quaestione monendum est vltcrius, quod ex allatis simul intelligatur, modum semper

per spectandum esse impensarum, imprimis vilium, ne forte ob illarum copiam heredibus allodialibus totum feudum relinquendum sit, quod scilicet successores feudales exsoluendis nimis impensis impares existant. Quae res, mea ex sententia, ad ductum doctrinae Pauli dirimenda e). Is autem, *vtilium nomine*, inquit, *ita faciendum deductionem quidam dicunt, si voluntate mulieris factae sint*. Iniquum enim esse compelli mulierem rem vendere, et impensas in eam factas solueret, si aliunde solvere non potest, quod summam habet aequitatis rationem. Hanc igitur inde regulam conficio: Meliorationes modum adeo excedentes, vt earum exsolutio admodum grauis sit successori feudali, subsunt moderationi iudicis, ne totius doctrinae fundamentum euertatur. Iniquum quidem est, alterum damno alterius locupletiolem fieri: at eandem iniquitatem spirat, si quis hoc nomine alterum a possessione feudi non sine dolo arcere velit f).

a) Vt voci obscurae ceteroquin autoritatis facilius venia detur, monendum est *VLPIANVM* vsurpare vocem *meliorare* Lege 13. §. 5. ff. de vsufr.

b) L. 8. D. de *impensis in rem dot. factis*.

c) P. II. tit. 15. §. 22.

d) Iudicatum nimirum a summo, quod Cellis floret, Tribunali in causa viduae de *KNIGGEN* contra agnatos de *KNIGGEN* Anno 1723. die 3 Sept. *Gleichwie aber bey allem diesen sich von selbst versteht, daß diejenige meliorationes, welche zu Vermehr und Befserung des Lehens angewendet worden, der Appellantin billig zu gute verbleiben, also sind Appellati nicht allein schuldig, wegen der Mühlen &c. der Appellantin mittelst eines demnechst ausfindig zu machenden pretii billige Erstattung zu thun, sondern auch, falls Appellantin zu erweisen vermögte, daß ihr auch sonst melioramenta gebührten, der Appellantin auch diesfalls satisfaction zu geben.* Similiter pronuntiatum est in causa *HARLING* contra

D

HAR-



HARLING die 4 Aug. 1739. verbis: Inmassen den, da denen Rechten nach Appellatin nur die Erstattung derer auf die Verbesserung derer Lehn - Stücke gemandten Unkosten, in so weit solche nicht etwa die geschehene Verbesserung selbst übersteigen, von dem Lehnfolger wieder zu fodern vermag, solchemnach Appellanten hauptsächlich obliegt zu erweisen wie hoch die von der Appellatin Vater auf sothane Verbesserungen verwandte Kosten sich belaufen.

e) L. 8. D. de impensis in rem dot. factis.

f) vid. LEYSERVS in Med. ad Digesta Spec. 156. Med. 1. vbi contra Diff. GVDLINGII de iure territ. oppignor. §. 104 haec fufus disputat.

§. XIV.

De aedificiis
variae quae-
siones veni-
latur.

Speciatim de aedificiis noua eaque agitissima quaeftio oritur. Qua de re Ius Feudale Longobardicum a) sequentem in modum cauet: Si vafallus in feudo aliquod aedificium fecerit, vel ipsum sua pecunia meliorauerit, & contigerit postea, vt vafallus sine filio mafculo decedat, dominus aut patiatur aedificium auferri, aut foluat pretium meliorationis. Tam plana haec omnia sunt, vt interpretatione non indigeant. Quamuis enim collector in fine adiecerit: Quidam alii dicunt omnino ad dominum pertinere, idque rem quodammodo dubiam reddere videatur; satis tamen ab aliis b) iam obseruatum est, vincere semper eam sententiam, cui proponendae autor principem operam dedit, quaeque ipsius feudistae menti vel analogiae iuris feudalis conuenientior est. Quibus placitis Longobardicis plane aduersari ius Saxonicum, expediti iuris est. Aedificia enim, si res ex Saxonum moribus iudicanda venit, feudum sequuntur, heredibusque alodialibus eo respectu nihil iuris compeit. c) Alia igitur obtinent, vbi iure Saxonico, alia vbi iure Longobardico viuuntur.

tur. Qua obseruatione lis illa de vtriusque iuris proedria, nec nostris iudiciis incognita, facile componitur. Praeunte enim BALTHAS. CLAMMERO *d*) Ducis ERNESTI quondam apud nos Cancellario celebratissimo, obseruantia Saxonici iuris iuri Longobardico obfuit. Sed fugato Saxonico iure in vniuersum, *e*) successit commune, vt hodiernum extra dubitationis aleam positum sit, causas hac in re controverfas secundum iuris Longobardici placita diiudicandas esse; *f*) id quod ex iudicatis, quae in notula *g*) recensemus, plenius intelligitur. Quae cum ita sint, res omnis eo rite, vt exploretur, vtrum aedificia separatim in feudum data sint nec ne. Donec de illo non apertissime constat, pro alodio reputantur, accensenturque meliorationibus. Porro curam nostram meretur alia quaestio aequae notatu dignissima, quatenus sumtus in reparationem conseruationemque fundi feudalis impensi repetantur a successore feudali? Quam controuerfiam cum minus excusfam putemus ab aliis huius argumenti scriptoribus, ordiamur a principiis, quae huic rei rite diiudicandae inferuiunt. Vasallus, ducta ab usufructuario consequentia satis legitima, reficere ac tueri tenetur fundum feudalem, & tunc demum iure meliorationis impensae restituuntur, quando domus sine sua culpa vetustate forte vel vi maiori percussa collabitur. Licet enim vasallus sub meliorationis lege, vt emphyteuta, feudum non recipiat; in eo tamen cum usufructuario eiusdem est conditionis, quod solita fundi onera ferre debeat. Quemadmodum autem iure Romano facta testa praestanda erat domus ab usufructuario, ita etiam vasallus ad impensas reparationis obstringitur, nisi forte sub reparationis schemate noua quaedam commoda fundo ipsi quaerantur. Placet itaque breuius rem hac regula complecti: Successor feudalis heredibus allodialibus non restituit impensas modicas & ordinarias in reparationes pro con-



seruanda re feudali factas. Aliud dicendum erit de extra ordinariis, v. c. quando sine culpa vasalli domus collabitur, vel adeo ruinosa existit, vt sine grauibus impensis refici nequeat; quibus in casibus, quicquid impendit, refundatur necesse est heredibus suis allodialibus. Illustrabuntur ea, quae differuimus, iudicato quodam illustriori, quod notula, k) exhibemus.

a) 2 F. 28.

b) V. BITSCHIVS in *Comment.* p. 531. Add. SCHILTERVS in *Instit. Iur. Feud.* pag. 22.

c) CARPZOV. L. 3. C. 31. Def. 1.

d) in *Promptuar.* Tit. 5: n. 1 & seqq.

e) V. B. PVENDORFFII *Proc. Ciu.* P. 3. Cap. 22. & Celeb. SCHEIDII *Progr. de causis abrogati iuris Saxonici in terris Brunsvico-Luneb.*


f) vid. prolixius hoc illustrantes B. PVENDORFFIUM in *Pr. Ciuili l. c.* & SENCKENBERGIUM de *Feudis Brunsvic.* C. 5. §. 49. Pace autem Illustris SENCKENBERGII liceat monere, quod nobis non liqueat, quamobrem Ordin. Supr. Appell. Trib. Cell. P. II. §. 22. in fine iuris Saxonici apud nos obseruantiae fauere edixerit in nota a). Habet vero ita, postquam de in solum additione cautum erat: *Bey der Tax aber soll, wie gedacht, nur allein dahin gesehen werden, wie man die Güter insgemein der Zeit Gelegenheit nach zu kaufen und zu verkaufen pfleget, nicht aber was sie etwa und insonderheit die Gebäude von neuen gekostet haben.* Equidem nihil hic iuri communi derogans vel vilo modo contrariam deprehendo. Conspirant potius cuncta cum nostris qualibuscunque thesibus, vt consequentiarum instar haberi possent. Id enim duntaxat refundendum esse existimamus, quod tempore deuolutae ad successores feudales successionis adhuc melioratum existit.

g) Sic iudicatum est in causa viduae de KNIGGEN contra agnatos de KNIGGEN die 19 Maii 1725: *Weil de iure communi feudali die Verbesserung des Lehns und in specie die Gebäude dem Land- Erben*

Erben wieder gut gethan werden müssen, und das Vorgeben, als wenn dieselbe besonders zu Lehn gereicht worden, nicht dargethan; so sind Beklagte agnati Einwendens ohngehindert schuldig den Werth der Gebäude iuxta aestimatum samt denen a tempore immisionis aufgelauffenen Zinsen zu bezahlen. Extat & aliud iudicatum eiusdem fere tenoris latum ao. 1730. die 10 Jun. in causa des Anwalds der Lehn - Cammer und der Ober - Hof-Meisterin von KAMECKEN tut. nomine contra die Wittve von STOCKHEIM, das zwar die auf dem Gute Limmer befindliche, wie auch sonst dazu gehörende Gebäude, imgleichen desselben sonst esweisliche gesamte meliorationes vor Erbe zu erklären. Huc etiam pertinet sententia lata anno 1733. die 16 Oct. in causa des Bussingischen Curatoris Bonorum, Johan Christian Schorkopfen contra die Gebrüdere von Rössing: Nachdemmahlen der praejudicial. Punct, gestalt nemlich die auf dem Gute Rössing befindliche Gebäude nicht vor Lehn sondern allodial zu halten, nach Maasgebung der gemeinen Lehn-Rechte bereits per Decretum Cancellariae Hannoveranae vom 14ten Sept. 1728. rechtskräftig abgethan.

h) V. VLPRIANVS L. 7. §. 2. D. de usufructu. Add. V. C. GER. NOODT de usufructu L. I. C. 14. Tom. I. Op. p. 420.

i) Sententia lata anno 1738. in causa MVNCHHAUSEN contra MVNCHHAUSEN concepta est his verbis: Die Beklagte nach Anleitung der Specification sub Lit. C. nicht befugt dasjenige von denen Klägern zurück zu fordern, was ante motam litem auf reparation und conservation derer Gebäude, auf Bepflanzung derer den 1ten Aug. 1663. bey dem Gute N. N. schon gewesenen Gartens verwendet worden, also können dahingegen die Klägere sich nicht entziehen dasjenige pro suis ratis und also pro dimidia denen Beklagten zu vergüten, was etwan auf Anlegung neuer dem Gute nützlicher und merkliche Erweiterung derer alten Gartens verwendet worden. Nicht weniger sind die Klägere gehalten denen Beklagten den jetzigen Werth derer in dieser Specification enthaltenen neuen auch erweiterten Gebäude nach Ermässigung Bauverständiger Achts - Leute zu bezahlen, wenn jedoch zuvor durch eine Commission wird ausgemacht seyn, welche von sothanen Gebäu-




Gebäuden denen Lehns - Agnatis und Stamm - Folgern, nach Beschaffenheit des Guts, wie es ihnen abgetreten und eingeräumt werden muß, nöthig und nützlich seyn.

§. XV.

Vtrum heredes allodiales meliorationes non amplius existentes iure repetant.

Supereſt grauior quaedam controuerſa breuius explicanda. Namque quaeritum memini, vtrum heredes allodiales impenſas ſeu meliorationes non amplius exiſtentes, ſi ſcilicet ſine eorum culpa perierint, iure repetant nec ne? Si PAVLVM audias, a) bonae fidei poſſeſſori in hereditatis petitione vtiq; tribuendum eſt, vt poſſit repetere; quocum etiam facere videtur VLPIANVS b). Quod ſi itaque, vt plerisque placuit, ſemper negotiorum geſtorum actio vtilis ad repetendas meliorationes vſurpanda eſt, conſequens videtur, vt etiam meliorationes interemtae a ſucceſſore in feudo iure petantur. Aduerſari autem hanc doctriſnam noſtrae, quam ſupra expoſuimus, ſententiae, facile quilibet animad-vertit. Quotiescunq; enim meliorationes non amplius extant, nec ad ſucceſſorem in feudo perueniunt, euerſitur fundamentum noſtrum repetitionis, nimirum: quod agnatus ſuccedens damno heredum allodialium fiat locupletior. Mea itaque intereſſe puto hunc ſcrupulum penitus euelli. Quamobrem primum nego, vaſallum plerumq; & regulariter in hoc argumento pro negotiorum geſtore haberi poſſe. Sui enim cauſa, teſte experientia, fundum meliorem reddit, non ea mente, vt agnatis cuncta ſtatim relinquere velit: ſua quoque negotia gerit, quamdiu fundum feudalem ipſe poſſidet. Equidem me non fugit, edicente VLPIANO c) *actio- ne negotiorum geſtorum teneri non ſolum eum, qui ſponte & nulla neceſſitate cogente immiſcuit ſe negotiis alienis & ea geſſit, verum et eum, qui aliqua neceſſitate urgente vel neceſſi-*

cessitatis suspicione gessit. Quod idem AFRICANO d) probatur, cum & tunc hanc actionem competere ratus est, *si negotium, quod tuum esse existimares, cum esset meum, gessisses.* Verum enim vero hanc visionem VLPIANO fuisse persuasum habeo, qua quis aliena negotia gerenda suscepit, sua falso existimans. Quod ad rem praesentem applicari nequit, siquidem vasallus sua negotia reapse curat, quamuis ad successorem in feudo, quando sine prole mascula decesserit, utilitas quaedam pertingere possit. Ab initio itaque ad vasallum saltem vnice pertinet, quod impendit, & hoc respectu sibi met ipsi prospicit: quae consideratio, nisi me omnia fallunt, cum Romanorum doctrina de negotiorum gestione conciliari non potest. Euiusmodi enim est, hoc iure nunquam dari hanc actionem, quando quis vel officii causa quidquam gessit, vel proprias res curavit e) Africanus autem, si eius sententiam penitus examinemus, nobis neutiquam aduersatur, siquidem alterum cum damno alterius locupletiorum supponit, quo in casu & nos semper dari actionem largimur. Quibus ita constitutis, haud inepte colligimus, actionem negotiorum gestorum in nostro argumento dandam non esse heredibus allodialibus, quoties meliorationes ad successores in feudo non perueniunt. Ex quo simul nobilis illa controuersia de actione ex nostro negotio oriunda componi potest. Nempe negavit BITSCHIVS, f) plane dari actionem, cum exceptio & ius retentionis tantum legibus indulgeatur. Cui HORNIUS g) & Ill. KRESSIVS h) dicam scripserunt, actionem de in rem verso concedentes: id quod haud immerito factum esse, ex allatis, vel me tacente patebit. Traditis prolixius, regulis generalibus, quae quemvis facile dirigunt, spero fore ut veniam impetrem, quod distinctionem in impensas voluptuarias & necessarias breuitatis studio late prosequi non possim. Sic voluptuarias impensas



penas tollendas quidem, minime refundendas esse tralatitium est i) Nemini autem secundum ea, quae praelibauimus, in mentem veniet, rem aliter esse definiendam. Voluptuariis enim, impensis cum locupletior successor feudalis videri nequeat; collabitur repetitionis fundamentum omne; adeoque superuacuum duximus hisce & similibus rebus diutius immorari k).

x) L. 38. D. de hered. pet.

b) in L. 10. §. 1. D. de negot. gest. verba legis haec sunt: *Is autem, qui negotiorum gestorum agit, non solum, si effectum habuit negotium, actione ista utetur, sed sufficit, si utiliter gessit, & si effectum non habuit negotium; & ideo si insulam fulsit, vel seruum aegrum curauit, aget negotiorum gestorum. Idque et Labeo probat.*

e) L. 3. §. 10. D. de negot. gest.

d) L. ult. D. eod. tit.

e) L. 5. C. de negot. gest. & L. 11. C. eod. tit.

f) in Comment. ad 2 F. 28. n. 6.

g) in Iurispr. feud. C. 21. §. 5.

h) in Diff. de Debitis Feud. Cap. 2. §. 4.

i) v. SCHWEDERVS in Diff. de Meliorat. Feudi.


k) Hic non possum non mentionem facere indicati ao. 1724. die 29 Aprilis in puncto diuersarum praetensionum lati in causa WALLENSTEIN contra HARDENBERG: *Sich genau zu erkundigen und pflichtmässig zu berichten, welchergestalt obspecificirte Gebäude den vorigen possessoribus nothwendig gewesen oder was sie noch jetzo den Gütern vor Nutzen bringen mögen.*

§. XVI.

Haecenus de meliorationibus speciatim sic dictis, quas ipsi plerumque heredes allodiales a successore in feudo repetunt. Succedunt aliae debitorum feudalium purorum species, quae extraneum creditorem sistunt ex ipso feudo suum repetentem. Quo imprimis referri video *residuum pretii, quo feudum comparatum est, &, quae parum ab hac specie abludit, pecuniam mutuam ad feudum emendam mutuo datam.* a) Quamvis autem hae species respectu domini directi, feudo scilicet ad illum reuertente, nisi accedat consensus vel ratihabitio eius, debitum feudale dici nequeant, adeoque ad debita respectiva referenda sint; manifestum tamen est, quod a vasallis successoribus rite hoc nomine repetantur, cum ad fundamenta antea a nobis iacta facile reuocentur. Si enim contrarium verius existimaretur, cum insigni vel creditoris vel venditoris damno fierent locupletiores successores in feudo, qui, nisi feudum comparatum, vel pecunia ad emendum feudum mutuo sumta esset, nunquam successissent. At eundem censum porro pertinet *pecunia, qua feudum ab obligationis cuiusdam nexu liberatur, v. c.; quam frater fratri renunciante, suamque portionem in alterum transferenti, promittit, nec non quae extraneus vasallo ad expungendum debitum feudale purum credidit* b) In priori specie hoc statim in oculos incurrit, successorem in feudo portionem tantum feudi capere, nisi pacto renunciatio sibi prospexisset defunctus. Fac itaque, successorem ad hoc debitum soluendum obstrictum non esse; satis tunc, reor, constabit, cum detrimento alterius alterum fieri locupletiozem. Pari aequitate nititur altera species, qua creditoris pecunia aes alienum exsolutum est, quod vasallus alias expungere obligatus fuisset. Quoniam vero tertius

E

cre-



creditor ad liberandum feudum minime obstrictus est, facile patet, interpretes haud inepte affirmasse, quod hic suum ex feudo iure repetere queat.

a) vid. SCHILTERVS in Instit. Iur. Feud. Cap. VII. STRUVIUS in Synt. Iur. Feud. C. 14. §. 8. HORNIUS in Iurispr. Feud. C. 21. §. 56. KRESIUS in Diss. de Debitis Feud. C. 2. §. 7. 8. Add. ENGELBRECHTII Diss. de Debitis Feudalibus §. 67. & seqq.

b) v. Doctores in notula praecedenti excitati.

§. XVII.

*De versione
dotis in feo-
dum.*

Occurrit porro vxor, vel dotem repetens, vel dotalizio in feudo constituto fruitura. Norunt autem omnes, qui suauissimo studio iuris Germanici demulcentur, quam turpiter a juris Romani interpretibus quadrata misceantur rotundis; qua scilicet ratione dos Germanica, quam non vxor marito, sed vxori maritus offerebat a) in donationem propter nuptias transfusa, & dotalium ad hodiernam formam, quadruplicatas vsuras continere solet, redactum sit. Prostant ea de re Illustrium, atque Doctissimorum Virorum GUNDLINGII b) HEINECCHII c), KOPPII d) & GEBAVRI e) nostri tam insignes commentarii, vt luculentissime ab illis exposita verbosius repetere nihil attineat. At rem nostram vero apprime facit, quaestionem de versione dotis in feudum expendere, atque, quibus rationibus communis doctrina, quam vsus sequitur, fulciatur, ponderare. Sic autem vulgo sentiunt, probata dotis illatione versionem in feudum praesumi, quibus positus arbitrio viduae relictum sit, vtrum dotem ipsam ex feudo repetere, an vero dotalium seu quadruplicatis vsuris illatae dotis frui velit f). Quod ad illationem dotis, vnusquisque facile intelliget, illam ceu rem facti &

totius petitionis fundamentum probari debere; quod quibus modis fiat, iam non disputamus g). De eo autem, quod probationem illationis ad repetitionem ex feudo vulgo sufficere existimant, vsu nostrarum terrarum, tradente ita Celeb. SENCKENBERG *10 b*) & MASCOVIO *1*), dubitatur, imo contrarium verius esse placuit. Speciatim igitur nostris in iudiciis vtrumque, & illationem & versionem in feudum, viduam probare oportet, auctoribus allegatis sponforibus. Qui cum, id quod mirum videretur, praedicta, ad quaetamen provocant, non allegauerint, ego, hac de re non satis instructus, rem fidei eorum committo. Quod si probatione rite defuncti sunt; de aequitate repetitionis nemo facile ambiget; quamvis hoc ipso non sopita sit controuersia de necessitate consensus domini directi & agnatorum ad constituendum dotalitium in ipso fundo feudali. Fatetur quidem III. KOPPIVS *k*), qui, quantum scio, hoc argumentum omnium optime excussit, vsu hodierno consensus non requiri; at cum grauissimae iure Germanico huic doctrinae obstant rationes, omnibus tamen autor est, vt sollicitae sint viduae de illo consensu impetrando. Sed haec de dote sufficient. Accenset etiam Doctores debitis feudalibus puris pecuniam, quam tertius ad exsoluendas collectas ex feudo debitas erogauit, & salarium aduocati, qui causas feudi vtiliter perorauit; de quibus vero, quod addam, non habeo, cum iisdem fulcris nitantur, quorum robur iam antea examinauimus.

a) V. CORN. TACITI *de Situ Moribus & Populis Germaniae libellum* Cap. 18.

b) *Diff. de emtione uxoris dote & morgengaba.*

c) *Elem. Iur. Germ. L. 1. tit. 10. §. 215. & seqq.*

d) *Proben des Teutschen Lehen - Rechts Nr. V. von Verwidmung derer Lehen - Güter ohne Lehenherrlichen und Agnaten Consens.*



- e) *Programm. ad Amplissimi AYRERI Diff. inaug. de Iure Connu-
bitorum apud Romanos.* Gottingae 1736.
- f) V. STRVVII *Synt. Iur. Feud. C. XIV. §. 9. STRYCKII Exa-
men Iur. Feud. c. 21. & Eiusdem Tractat. de successione ab in-
testato, 4 C. 2. §. 8. HORNII Iurispr. Feud. Cap. 21. §. 7. &
KRESSII Diff. de Debit. Feud. Cap. 2. §. 9.*
- g) Vid. LVDOVICI *Diff. de probatione illationis dotis.*
- h) *de Feud. Brunsv. C. V. §. 52.*
- i) *Notit. Iur. Brunsv. p. 11.*
- k) *loc. cit. §. 11. p. 239. & seqq. Addatur memorabile iudicatum Du-
cis BERNHARDI de 1430. apud amplissimum GRVENIUM in
Observat. Iur. Germ: 1. §. 7. p. 560. & seqq. annex. Discept.
For. dotalitii a marito vxori constituti ob deficientem consensum do-
mini directi nulla habita est ratio.*

§. XVIII.

*Debita feu-
dalia in sub-
sidium sol-
venda per-
senserunt.*


Expositis debitorum purorum primariis speciebus, per-
go ad ea, quae in *subsidiuum* duntaxat, allodio deficiente,
ex feudo soluenda sunt. Animaduerto autem, pensitatis omni-
bus, quae Doctores afferre solent, speciebus, debitum feu-
dale in *subsidiuum* soluendum non intelligi, nisi vel *consensus*
eorum, quorum interest, accefferit, vel *lege expressa*, vel de-
nique *obseruantia* seu consuetudine stabiliantur. Consensu au-
tem nititur debitum vasalli, in cuius securitatem hypothecca
in feudo constituta, eaque & domini directi & agnatorum
consensu munita est. Cum autem vel vterque, tam domi-
nus directus quam agnati, consentiat, vel alteruter horum
duntaxat, facile inde perspicitur, priori in casu debitum ad-
esse absolutum, in posteriori respectuum (§. XI.) Nolo in
fundamenta huius debiti operosius inquirere, dum neminem
dubitare arbitror, quin, quod semel placuit, amplius dif-
plicere

plicere non possit. Nec instituti ratio patitur, vt varias, quae circa hypothecam oriuntur, quaestiones prolixius prosequar, praesertim cum alii *a*) hanc rem iam perorauerint. Pergo ad debita lege vel consuetudine introducta. Iure feudali *b*) diserte cautum deprehendimus, vt successione feudalis *ob mentis vitium incapacibus alimenta* ex feudo in subsidium debeantur. Quibus interpretes ob parem aequitatem, corporis vitio laborantes adiungunt *c*). Denique, quamuis expressis legibus destituamur, consuetudine tamen vsuque forensi obtinet, vt *filiae* deficiente allodio *ex feudo dotandae* sint. Quem vsu forensem, vt iudicatis nonnullis nostri fori in notula *d*) allegatis extra dubitationis aleam ponamus, e re mea futurum puro. Modum dotationis in vniuersum quisquam difficulter definiuerit. *e*) Cetera argumenti singularia ab aliis iam occupata video; quos itaque euoluissē iuuabit *f*) Porro, *legitimam* filiabus ex feudo nouo in subsidium deberi, partim analogia iuris ciuilibus, partim ipso vsu introductum est: quod vero ita interpretandum, vt legitima non secundum feudi aestimationem, sed ex eo solo pretio, quo pater feudum comparauit, computetur. *g*) Agmen claudunt postremo *impensae fimbres* in sepulturam vasallae erogandae. Aequitatis ratio sola, vti opinor, mouit interpretes, vt in hanc concederent sententiam, quam nunc ab omnibus fere probatam animaduertō. *h*) Quae reliquae sunt horum species, *i*) quod instabilis sit in illis interpretum prudentia, studio praetermittimus, ad ipsam Dissertationis arcem pergentes.

a) V. STRYCKII Diff. de obligatione feudi consensu munita: HANNII Diff. de oppignoratione feudi: GERDESTI Diff. de eodem arg. & BOEHMERI Diff. de hypotheca feudali expressa.

b) 1 F. 6. §. mutus, & 2 F. 26.

c) BECK-



- c) BECKMANNVS in Diff. de alimentacione personarum ad successionem feudi inhabilium.
- d) Ita iudicatum ab Ill. Cancellaria Hannover. in causa KNIGGEN contra KNIGGEN die 19. Maii 1725. in puncto separationis feudi ab allodio: *Und sind Beklagte sowol dieserwegen, als auch wegen eingeklagter an die Kniggische Tochter bezahlter Brautschatz - Gelder, da zumahlen dieselbe nicht anders als in subsidium und wenn das allodium zu deren Bezahlung nicht hinreichend, von denen Lehens - Folgern bezahlt werden dürften, von der wider sie angestellten Klage zu absolviren.* Similiter iudicatum in causa MVNCHHAUSEN contra MVNCHHAUSEN a Facultate iuridica Duisburgensi die 15. Dec. 1721. *Dafz die Agnati von besonderer Aussteuerung der Tochter aus den Lehn - Gütern zu absolviren; quae sententia in summo Tribunali Cell. die 19. Maii confirmata his verbis: Noch weniger seyn dessen Land - Erben einen Brautschatz zu fodern berechtiget, zumahlen sie die vorgegebener Observantz der Munchhausischen Familie mit nichts dargethan.* Etiam spectat sententia lata anno 1726. die 5. Iulii in causa WALLENSTEIN contra HARDENBERG: *Weil Klägerinn ihrer Brüder Erbin geworden, Lehn - und Stamm - Güter nur in subsidium vor Ehe - und Aussteuer - Gelder hafften, und von Klägerin durch ein recht - beständiges Inventarium nicht dargethan, dafz aus ihrer Brüder Allodial - Nachlaß Sie nicht völlig wegen ihres Braut - Schatzes und Aussteuer vergnügnet werden können; so werden Beklagte von angestellter Klage absolviret.*
- e) Vide tamen, quae habet Ill. LEYSREVS de feudis Brunsvic. in App. §. 39. & SENCKENBERGIUS de feudis, Br. C. V. §. 53.
- f) V. SCHOPPERI Diff. de dote filiarum nobilium in feudis, & ENCELBRECHTII Diff. de dotatione filiarum nobilium.
- g) V. LEYSERI Medit. ad Dig. Spec. 91. M. 10.
- h) V. KRESSIUS in Diff. de Debit. Feud. §. 32.
- i) Quas vide apud Ill. SENCKENBERGIUM in primis lin. Iur. Feud. §. 423.

§. XIX.

Dixi procul dubio quod satis est ad ipsam quaestio-
nem, quam penitus examinare constitui & intelligendam &
respondendam curatius. Nempe saepius in foro varia for-
tuna disputatum legimus: *Num debita feudalia a vasallo so-*
luta heredes allodiales a successore in feudo repetere queant?
Frequentior in iudiciis occurrit haec controuersia, quemad-
modum de ipsis debitis feudalibus haud insolens esse solet
disceptatio, quorum ingrauescentem, seculi forte vitio, mul-
titudinem iam nec increpo nec fontes percontor; licet omni-
no hoc nemini mirum videri possit, quem experientia edo-
cuit iam *rusticitatis & miseriae esse, velle quantum sat est, a)*
Optarem, rarius in mentem venire posset illud *IVVENALIS b)*,

Hic ultra vires habitus nitor: hic aliquid plus

Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.

Commune id vitium est.

Ad ipsam rem itaque accedam, posteaquam sensum quaestio-
nis breuibus exposuero. Qui mea sententia est talis: Vasal-
lus quidam domino directo agnatisque consentientibus aes
alienum contraxit, pro quo feudum creditori oppignoratum
est. Quidam ex ipsius successoribus expungit hoc debitum
sua pecunia, atque hoc modo feudum ab insigni onere libe-
rat. Sed decessit ille sine prole mascula, superstite filia. Feu-
dum ad agnatos transit, a quibus filia superstes debitum a pa-
tre solutum repetit. Quaeritur quo iure?

a) SENEGA *Ep. 90.*

b) *Sat. 3. V. 180.*

§. XX.



§. XX.

*Adversario-
rum argu-
mentum pri-
mum.*

Affirmans sententia, doctissimis acutissimisque Viris probata grauissimis se commendat argumentis; quae primum recensebimus, quid veri insit deinceps inquisituri. Ipsis autem, quae supra tradidimus, principiis inniti videtur haec opinio; quandoquidem versionem in rem princeps debitorum feudaliū fundamentum adstruere conati sumus. Nimirum euiusdem dedimus, in rem versum esse, quicquid in alterius utilitatem solutum est. Namque hoc ipso alterum locupletiores reddimus, quod obligatione liberatus est, Fac igitur, debitum feudale a praedeessore tuo esse solutum: onere procul dubio leuatus es, quod Tibi incumberet. Praeterea surrogatum sapit, vt Pragmaticorum in ore esse solet, naturam eius cui surrogatur. Ex quo consequi videtur, vt pro melioratione habenda sit eiusmodi exsolutio debiti vere feudalis. Vnde veram haud abs re collegeris Germanorum paroemiam: *Wer Schulden bezahlt, verbessert sein Gut.* Quibus positis rationes eos haud inepte subduxisse dixeris, qui affirmantium sententiam sequuntur.

§. XXI.

Secundum.

Accedit quod deinde nobis obiici possit, id quod in hac quaestione caput rei esse videtur, nos ipsos supra adoprassse. Diximus enim pecuniam a tertio mutuam sumtam ad exsoluendum aes alienum in debitorum feudaliū censu ponendam esse. Nullum vero discrimen inter has species intercedit, siue vasallus locuples ex suo soluerit, siue soluerit alterius pecunia mutua adiutus. Quibus argumentis commotus huic sententiae subscripsit Ill. BOEHMERVS †).

†) Gra-

f) Gravissime in Consult. & Dec. Vol. I. P. 2. R. 123. n. 17. edicit: *Da in effectu keine ratio diuersitatis solida mag angeführet werden, ob der Vasallus deswegen Geld aufgenommen, oder mit seinen bonis aliunde quaesitis das feudum liberiret habe.*

§. XXII.


Aequitas porro hanc opinionem mirifice tueri videtur. Potuisset enim vasallus exsolutionem debitorum feudaliū vel differre, vel mutuam pecuniam hac fine sumere. Vtroque in casu heredibus allodialibus tantundem mansisset, quantum erogatum. Cum vero de suo soluit successoribus, que in feudo prospexit, iniquum fane eum esse oportet, qui id in detrimentum heredum allodialium cedere contendat. *Tertium.*

§. XXIII.

Fraus quoque fieret posita contraria sententia praesumatae vasalli soluentis honestissimae intentioni. Hic enim prodesse voluit, quam successoribus in feudo, quos negotia illorum gerendo sibi satis obligauit. Et habent nihilominus, quod gratias vasallo soluenti referant, qui aes alienum expungit, eoque cursum vsurarum finit. *Quartum.*

§. XXIV.

Nemo porro, inquit, qui aientium fauent partibus, tam demens erit, vt, cum negantem sententiam vincere sciat, vnquam expungat aes alienum. Rarus enim, imo plerumque nullus est vasalli in agnatos successores affectus, maximus vero in heredes allodiales, v. c. filias descendentes. Fac itaque, repetitionem debitorum feudaliū exsolutorum hisce denegari; nemo fane eo erit adducendus, vt soluat
F debita



debita feudalia in gratiam agnati cum insigni damno heredum allodialium. Ex eo autem maximum nasci videtur incommodum, quod scilicet feudum semel obaeratum hoc onere nunquam liberetur, grauissimoreipublicae familiarumque detrimento. Haec sunt illa argumenta, quibus aduersantes celeberrimos interpretes ad illam sententiam amplectendam commotos existimo. Quos inter eminent, *MEVIUS a)*, *BERGERVS b)*, *BOEHMERVS c)* & *KRESSIUS. d)*

a) P. 5. Dec. 55.

b) in *Suppl. ad Electa Discept For. P. II. p. 788. & seqq.*

c) in *Consult. & Decis. Vol. 1. P. 2. R. 123.*

d) in *Diff. de Debit. Feud. Cap. 3. §. 6.*

§. XXV.

*Aduersarii
resutantur
argumento
pro nostra
sententia
primo.*

His non obstantibus potior videtur negantium sententia, quam & refellendo argumenta haectenus enarrata, & nostram, quam amplexi sumus, causam genuinis, quae desiderabantur, fundamentis firmando, nunc adstruere meum est. Cardinem autem aduersae sententiae in eo verti puto, quod supra §. XIX. adduximus: Nempe, adesse in specie, de qua disputamus, veram versionem in rem, seu, ut aliis interpretibus placuit, negotiorum gestionem. Neutrum vero locum habere euincam, quo facto omne fundamentum repetitionis corrui. Primum supponimus, exsolutionem debiti feudalis a vasallo factam esse. Ex quo statim liquet, vasallum hic nihil aliud soluere, quam quod ipse debet: suo officio, suae obligationi satisfecit (§. XV.) Collata itaque doctrina Vlpiani *a)* principisque, quae §. XII. iecimus, nullam amplius deprehendimus versionem in rem. Quicumque enim

enim soluit, quod ipse debet, nunquam in alterius rem ver-
 tit pecuniam exsolutam. Nec alterum, scilicet agnatum in
 feudo successorem, cum damno suo locupletiolem fieri dici
 potest, cum in iure nemo cum damno suo, pauperior dicatur,
 qui suum aes alienum soluit. In aprico itaque est differentia in-
 ter meliorationem, & solutionem debiti feudalis. Ad me-
 liorandum feudum nemo obstrictus est, cum ad aes alienum
 exsoluendum vnusquisque adigi possit, imo quotidie cogat-
 ur. Nec aliter se res habet, si, ex sententia nonnullorum,
 negotiorum gestionem adesse existimes, id quod a B. STRY-
 VIO b) iam obseruatum est.

a) L. 10. §. 7. D. de in rem verso.

b) in Syntagm. Iur Feud. Cap. XIV. §. 24. n. 4. Verbis: *Negue
 vero ipsis (heredibus allodialibus) dabitur actio negotiorum gesto-
 rum, cum feudum a pignore liberantes non alienum, sed pro-
 prium gesserint negotium.*

§. XXVI.

Exposito hac ratione primario nostrae decisionis funda-
 mento, pergimus ad excussionem obiectionis §. XXI. allatae. *Argumento
 secundo.*
 Ex paritate scilicet rationis argumentabantur: Si tertius, qui
 vasallo ad exsoluendum debitum feudale pecuniam mutuum
 dedit, a successore in feudo illam repetit; idem de heredi-
 bus allodialibus vasalli de proprio soluentis statuendum erit.
 At discrimen inter vtramque speciem facile in oculos in-
 currit. Tertius creditor nullo modo obstrictus est, ad de-
 bitum feudale soluendum, qui si suum ex feudo, in quod
 pecunia versa est, repetere non possit, vasallus successor cum
 damno eius fieret locupletior; quod secus se habet in vasallo
 de suo solvente. Quemadmodum proinde tertio tantum
 creditori repetitionem largiti sumus, ita haec res nobis non
 amplius obesse potest.

F 2

§. XXVII.



§. XXVII.

Tertio.

Nec aequitatem nostrae sententiae obsistere arbitramur. Aequitatis enim, quoties, vti hic fit, stricto iuri opponitur, ea solet esse consideratio, vt magis respiciamus rectae rationis sensusque humanitatis communis, quam iuris recepti praecepta. Rectae autem rationi cuncta principia, ex quibus consequentia deduximus, consentanea videntur. Humanitatis est maxime, debita soluta nunquam reperere, nisi cerebrinam aequitatem sequi malimus, quae quacunq; pecuniae erogatione damnum verum inferri fingit.

§. XXVIII.

Quarto.


Parum ad rem porro facere arbitror praesumptam vasalli soluentis voluntatem, qua scilicet in commodum heredum ipsius allodii, si mascula prole forte destituatur, magis soluisse volunt, quam in illorum detrimentum manifestissimum. At, si id, quod ipso vsu edocemur, spectemus, nunquam fortassis eiusmodi visio occurrit, qua vasallus eo animo debita feudalia expungat, vt, post mortem ipsius, heredibus in allodio superstitis a successoribus in feudo refundantur. Nisi enim probabili ratione sperare queat, fore, vt ipsis heredibus descendentibus masculis in feudo solutione debitorum feudaliu consulatur, sponte sua nemo facile soluet. Sed sinq; soluentem vasallum talia sibi proposuisse: nihilo secius non intelligo, quod haec ipsius voluntas possit debitum conuertere in indebitum.

§. XXIX.

Quinto.

Facile denique ex disputatis perspicitur, quid ad vltimam dubitationem responsuri simus. Nempe obiciebatur possi-

posita nostra sententia, nullum vnquam vasallum, nisi numerosissima mascula progenie beetur, heredibus suis allodialibus adeo male consulturum esse, vt a debitis feudalibus feudum liberet: Ex quo pronum sit ad intelligendum, debita feudalia aeternitatem consecutura, rarissimeque feuda ab aere alieno vacua esse futura. Duplex responsio in promptu est. Primum, a voluntate vasalli hic omnia pendent, cum vel inuitus ad soluenda debita cogi possit; deinde volens quoque saepenumero soluet, vt vsurarum onere liberetur, praesertim si filios habet nonnullos eosdemque vitales, licet eosdem forte viuis amittat. Tantum itaque abest, vt ex nostra sententia hoc incommodum consequi possit, vt potius, idem ex contraria opinione fluere videatur. Quod si enim verum est heredes allodii debita feudalia a vasallo stricto sequitur, vt circumactis etiam pluribus seculis, quandoecunque, extincta stirpe mascula soluentis, ad agnatos eius deuoluatur successio in feudo, hi ista omnia refundere debeant. Certe hoc modo nunquam feuda liberabuntur a debitis, quiescente quasi repetendi iure, donec mascula progenies vasalli soluentis superuerit. Non vacat iam, quantum haec res contrariae opinioni obsit, prolixius prosequi, nec, si vacaret, opus est. Quare expositis, quae in vtramque partem forte dici potuissent, ipsis argumentis, hoc vltimo loco moneo, ab vsu forensi hanc nostram sententiam minime abhorrere. Ita enim placuit Viris Illustribus, atque Celebratissimis LYNCKERO, a) EICHELIO, b) STRYVIO, c) PLESMANNO, d) ICTIS Lipsiensibus teste BERGERO. e) Imo quid opus est ad ICTOS prouocare, cum Illustr. Consilium aulicum, quando ante lugubre fatum Imperatoris CAROLI VI. Viennaeius dicebat, nostram sententiam in eadem visione probauerit. f) Quod ad vsum forenssem nostrarum terrarum attinet, hic etiam nobiscum facit, ceu apparet ex iudicato in notula g) alle-



allegato. Exposui, quibus grauissimis, vti mihi visa sunt, argumentis ad amplectendam negantem sententiam inductus sum; Quod si officio meo non recte defunctus sim, spero fore, vt iuuenili labori hoc vnusquisquefacile condonet.

a) in Cent. 4. Dec. 245. & Cent. 11. Dec. 1073.

b) in Diff. de Debit. Feud. §. 81.

c) in Synt. Iur. Feud. C. 14. §. 24. n. 3.

d) in Diff. de Consolidatione feudi & allodii in Pomerania vltiori C. 2. §. 19 & seqq.

e) in Suppl. ad El. Disc. For. P. 2. p. 790 & seqq.

f) Lunae den 1. Augusti 1740. von Plettenberg Graff Contra die Frentzische Allodial - Erben, puncto feudaliū.

Abfoluitur Relatio & Conclufum.

Imo. Mit hinausgebung der erst post Conclusionem in Caufa, mithin gegen die Ordnung eingerichteter Exhibitorum sub praesentis 17. & 31. Maii; item den 14. Iunii nunc fiat sententia dahin, daß der Graff von Plettenberg die in actis benandte 50000. Rhlv. denen von Frentzischen Allodial - Erben wieder zu ersetzen nicht schuldig, sondern diese letztere Erben das im Stiff Hildesheim gelegene Lehn - Guth Boltzum nebst allen Lehn - Appertinentien absque praetensa refusione obgedachten Summe, den Graffen von Plettenberg gleich von nun an gegen hinlängliche Caution und Ersetzung deren unwiedersprechlichen melioramenten und Allodialien (gegen welche nichts einzuwenden) ohnweigerlich abzutreten auch ihre die seit dem Todis - Fall des letztern Lehn - Besitzers weil. Frantz Arnold von Frentz, davon genossene fructus praevia horum liquidatione, zu erstatten gehalten seyn sollen, Compensatis Expensis & annexis euentualiter Executorialibus.

Hdo. Was aber den punctum Meliorationis & Allodii (in so weit selbige in Continenti nicht erweislich seyn dürfften) nicht weniger die fructus ultimi anni, wie auch die vorhandene Gebäude, dann das Feld und Vieh -- Inuentarium anbetrifft. Fiat ex officio Commissio aulica, um die Partheien, wo möglich, diesesfalls in Güte auseinander zu setzen; zu dem Ende dann beyde Theile erinnert werden, ihre Mandatarios mit denen benötigten special - Vollmachten und instructionem foderfahmst zu versehen.

Arnold Heinrich v. Glandorff.

g) Sie nostris in foris pronuntiatum est in causa MVNCHAVSEN contra MVNCHAVSEN ao. 1725. die 19. Februarii: Die von Weiland dem Schatz-Rath an seine Brüder wegen B. Güter Portion imgleichen nach der Mutter und Schwestern Absterben vor die zu deren Unterhalt ausgesetzt gewesene Pertinentz - Stücke erlegete Gelder werden dessen Land - Erben billig restituirt, wie auch, wo sie erweislich machen könnten, dasz er über seine Schulden - Portion noch einige Stücke aus der Creditoran Hände luiret, die ihm aber und seinem Bruder B. in dem Recefs de ao. zugefallene und zu bezahlen schuldig gewesene Portion alt väterlichen Schulden seyn, dessen Land - Erben wieder zu fodern nicht berechtiget.



Göttingen, Diss., 1749 Br-Z

ULB Halle
008 903 875

3





#

1741, 66 2

P R O B L E M A
I V R I S F E V D A L I S
N V M D E B I T A
F E V D A L I A A V A S A L L O

S O L V T A H E R E S A L L O D I I A S V C C E S S O R E
I N F E V D O R E P E T E R E Q V E A T

P O T E N T I S S I M O P R I N C I P E A C D O M I N O

D O M I N O

G E O R G I O I I .

M. BRITANN. FRANC. ET HIBERN. REGE

DEFENSORE FIDEI

ELECTORE ARCHITHESAVRARIO

NSVICENSI ET LVNEBURGENSI

ORE GEORGIAE AVGVSTAE

MAGNIFICENTISSIMO

ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE

IN VTROQUE IVRE HONORVM

VILEGIORVM DOCTORALIVM

CONSEQVENDORVM CAUSA

CAE DISQVISITIONI SVBICIT

C T V S B R E M E R ,

EQVES BREMENSIS

ANNO CLO IO CCXLI. XXVIII. APRILIS DIE.

ALAE MAGDEBURGICAE,

TERIS HENDELIANIS. CLO IO CC LXXIX.



329

